



DISPUTATIO JURIDICA ²⁹ 404
INAUGURALIS

DE

1641,9

INTERVENTIONE,

QUAM

Sub Præsidio SS. Trinitatis.

DECRETO ET AUTHORI-

TATE NOBILISSIMI ET AMPLISSI-

MI Jctorum COLLEGII IN ALMA ET INCLYTA

ARGENTORATIENSIIUM

UNIVERSITATE,

Pro impetrandis rite ac solenniter in UTRO-

QUE Jure honoribus, immuni-
tatibus & privilegiis

DOCTORALIBUS

Publica & solenni disquisitioni subjicit,

JOHANNES BERNHARDUS Wild/

WIMPINENSIS.

Die 9. Mensis Septembris.

ARGENTORATI,


Typis JOHANNIS REPPII.

ANNO M. DC. XLI.

INVENTIONE
SECRETORUM
DOCTORALIS
JOHANNES BERNHARDUS
M.D.C.XLII

Ca
de
pi
ita
de
Vo
tat
ca
cu
tus
sun
aug
tu
LA
gen
pub





AUSPICE DEO TRIUNO

PRÆFATIUNCULA.



Uoniam Materiam Interven-
tionis in utroque Jure funda-
tam, non minus utilem & ne-
cessariam, quàm frequentem
& in praxi (attestante Didaco
Covarruv. *pract. quest. c. 13. n. 4* & Illic. Uimm.
de process. disput. 11. continuat.) usitatã esse stre-
pitus Forenses sufficientissimè comprobãt,
ita ut modicũ saltem in Foro versanti, ferrã
de Eã reciprocari, audire sæpius contingat:
Veram autem semitam, quæ illuc sine hæsi-
tatione & offensione directò perducatur, cal-
care, & penetralia ejusdem perscrutari, non
cuivis planum & manifestum est. Eam, (fre-
tus *l. 25. ibi, plenius attingas, quæ quotidiana
sunt. ff. de liberat. leg.*) Loco Disputationis In-
auguralis eligere, electam secundum qua-
tuor causarum genera, in hoc monitum C.
I.A. tom. 1. præfat. secutus, adjunctis adjun-
gendis elaborare, elaboratam verò Omniũ
publicæ & solenni disquisitioni subiicere,

A 2

mecum

mecum ante peregi, vires ingenii mei qualescunque perichitaturus, aliorum verò exactius & limatius iudicium interim nequaquam subterfugiturus.

T H E S I S I.



U M verò omnia, quæ gerimus, nisi legitimum habeant initium, actum nostrum reddunt inanem, *per l. 11. ff. de Oblig. & Act. Verborum Ordinem* (qui quamque formam dat, & si fuerit omissus aut per versus, propositum annihilat. *Marant. in spec. aur. proem. n. 5. ex cap. cum dilecta 22. de Rescript.*) non neglectui habere, operæ pretium duxi.

I I.

Etymologia.

Vocabulum igitur Interventionis examinaturus, rectius fecisse videor, si in ipso limine Etymologiam proposuero, stipatus auctoritate non solùm ipsius Imperatoris Justiniani, *pr. Inst. de Testam. §. 1. fin. inst. de interd. & Veterū Jurisconsultorum in l. 2. §. 2. ff. de Reb. cred. l. 1. ff. de acquir. vel amitt. possess. l. 110. ff. de V. S.* sed etiam recentium Doctorum non de populo & gregatiorum. Sic enim C. J. A. *de Jurisd.* proponit Etymon Jurisdictionis. *thes. 2. Wesemb. in parat. de Transact. Etymon. Transactionis, n. 2. Idem in parat. de Procurat. n. 2.* vocabulum Procurat. deducit à Pro & Curare. Idem dividit vocabulum Interdicere in duas particulas: *de Interd. n. 3.* & aliialiiis locis quamplurimis. Ita Interventionem ab Inter & Venire derivari, nullus planè dubito.

III.

Homonymia.

Et hoc inficias ire non licet, Tò Intervenire esse Æquivocationis nexu obstrictum: Ideòque illud ab eadem vindicare non abs re erit, propter vulg: illud: *Erroris genitrix est equivocatio semper.* Sumitur enim. 1. generaliter, quamcunque interpositionem significans. *Calvin. in Lex. verb. Intervenire. l. 36. pr. C. de inoffic. testam. l. 10. §. 13. ff. de in jus voc. l. 7. §. 1. ff. de obseq. parent. & patron. prest. l. 2. ff. de author. tut. 2.* Notat idem, quod alieno nomine quocunque se obligare. *l. 7. §. 3. ff. de minor. l. 3. §. 5. & 9. ff. de pecul. l. 8. §. 2. ff. ad SC. Vellej. l. 32. §. 3. d. 1. l. 6.*

§. 2.

§. 2. ff. Maná. l. 1. §. 1. C. de reput. que sunt in jud. i. i. rest. 3. In specie si-
 gnificat fidejubere. l. blanditus 12. C. de fidejuss. l. 5. pr. l. 27. §. ult. ff. eod. l.
 5. pr. ff. de appell. l. ult. §. ult. C. de usur. rei jud. l. 6. ff. ad SC. Vellej. l. 30 §. 1. ff.
 de pact. Hering. tr. de fidejuss. cap. 11. n. 67. 4. Intervenire idem est, quod
 libellum supplicem pro aliquo interponere. l. 5. §. 2. C. ad L. Iul. Majest.
 5. Procuratorio nomine intercedere. l. 11. §. 2. ff. de injur. & famos. lib.
 l. 3. §. 1. ff. de publ. judic. l. 10. §. fin. ff. de injus voc. l. 3. §. 3. ff. jud. solv. 6. Liti
 præsens esse. Zas. lib. 2. intellect. sing. per l. 63. ibi, me interveniente, ff. de re
 jud. 7. Intervenire denique dicitur is, qui ratione alicujus Interesse
 huic vel illi negotio sese interponit.

I. V.

Ultimæ hujus significationis mihi in hâc Disputatione accom- Synony-
 modatæ Synonyma in Jure & à Doctoribus hæc notari deprehendi. mia.
 I. Qui utitur hâc Interventione, dicitur Intercedere. l. 63. ff. de re jud.
 l. 21. C. de Procur. II. Liti adesse. Auth. nunc si heres. C. de Litig. III. Sim-
 pliciter, Adesse. l. 29. ff. de inoff. test. IV. Litis particeps fieri. Nov. 112.
 c. 1. vers. unde damus licentiam. V. Adhærere. c. 4. de Elect. & Elect. pot.
 in 6. VI. Sese opponere. d. c. 4. c. veniens. 38. X. de Test. & Attest. Hinc
 Intervenens dicitur. 1. Tertius Oppositor. Didac. Covarruv. practic.
 quest. c. 13. & 14. per Clem. Constitutionem 4. de Elect. & Elect. pot. 2. Ter-
 tius Defensor. d. c. 14. n. 3. 3. Tertius Contradictor. Idem pr. quest. c.
 16. n. 4. & 5. Et Interventio 1. Tertii Oppositio. d. c. 16. fin. 2. Tertii
 Contradictio. Idem ibid. VII. Sese interponere. Perr. Frid. Mind.
 de contin. caus. lib. 3. c. 8. pr. VIII. Facere se consortem unius ejusdem-
 quelitis. Pet. Frid. d. loc. IX. Litem assumere. Althus. Dicaolog. libr. 3.
 c. 12. num. 17.

V.

Hæc ita præmissa sequitur Definitio, quam ita concipio. Inter- Definitio.
 ventio est Causæ inter alios agitatæ sponte & proprio motu ratione
 Interesse competentis facta interpositio.

V. I.

Ad lucidiorem Definitionis hujus intellectum adjungitur Ex- Explicatio
 plicatio Terminorū. I. Generis loco pono INTERPOSITIONEM, secu- Termino-
 tus Vult. lib. 2. Jurisp. Rom. c. 30. n. 68. C. l. A. de O. & A. th. 25. n. 5. & alios. rum.
 nolens inhærere generi Illiconis Ummii. de process. disputat. 11. n. 2. qui
 A. 3. illud

illud facit participationem, eo quod Omnis Interveniens de lite participet. Hanc enim omnibus infra à me positis speciebus non satis convenire, clarius apparebit.

VII.

II. Dico CAUSÆ inter alios &c. quo termino comprehensam volo & judicialem & extrajudicialem Interventionem. Causæ enim verbo & lis in iudicio ventilata, §. si quis agens 33. Inst. de Act. l. 1. pr. C. de reb. cred. l. 4. l. 6. §. 1. C. de postul. l. 1. C. de Advoc. 1. aliq; pluribus locis: & negotium extra iudicium denotatur. l. creditorum. 11. & 23. de V. S. l. 18. de acceptilat. l. 9. §. pupillus collas. pr. d. l. de auctor. & cons. tut. l. 7. §. sed si nulla causa, id est res, subsit. de pactis.

VIII.

III. Addidi, SPONTE ET PROPRIO MOTU, ad excludendam illam Interventionem, quæ fit coactè & remedio citationis, quando nimirum conventus auctorem suum nominat vel laudat, quo de agit. l. 53. §. 1. ff. l. 8. 9. 23. C. de Evict. Ilic. Vmmius disput. 11. n. 2. n. 14. & seqq. Mynsing. cent. 3. Observ. 24. C. I. A. de Evict. th. 7. & seqq. non obstante Citatio illa vel Denunciatio litis interdum omittatur, & Tertius ultrò compareat, vide alleg. in C. I. A. d. t. th. 8. Non enim est tam soluta, tamque spontanea accessio, atq; de quâ in præsentiarum mihi sermo est.

IX.

IV. Et ultimò apponere placuit, ratione Interesse COMPETENTIS, iterum à consuetâ DD. (Vult. libr. 2. Iurispr. Rom. cap. 30. num. 68. Ilic. Vmm. d. disput. 11. pr. C. I. A. de O. & A. th. 25. n. 5. qui addere solent, pro Interesse S U O, quo denotare (eos autumo lucrum cessans vel damnum emergens) phrasi deviando, & Althusio assentiendo, qui eundem Terminum definitioni suæ annectit. d. lib. 3. Dicaolog. cap. 2. num. 17. Interveniens enim non semper ratione proprii & principalis sui Interesse sese interponere, ex thesibus mox sequentibus apparebit.

X.

Definitionem hoc modo positam & Terminos eiusdem explicitos excipit Divisio, quam secundum 4. Causas quadruplicem etiam facio. I. Ratione Causæ Efficientis. II. Ratione Causæ Materialis. III. Ratione Formæ. IV. Ratione Finis & Effectus. Si quæ aliæ forsitan reperiuntur, hisce ut potioribus includi posse arbitror.

Divisio
quadru-
plex.

XI. Quod

XI.

407

Quod attinet primæ Divisionis Speciem. Interventio fit vel nomine proprio, ratione proprii sui Interesse: Vel nomine alieno, pro Interesse alterius. *Illic. Vmm. disput. 1. num. 4. P. Frid. Mind. de contin. caus. lib. 3. cap. 8. n. 14. & 15. & c. 9. n. 3.*

XII.

I I. Ratione Materiæ Interventionis Causa. 1. Vel est Civilis, vel Criminalis. 2. Vel publica vel privata, quarum species & exempla inferius plurima recensentur.

XIII.

III. Ratione Formæ: Alia est Judicialis: Alia extrajudicialis. Hujus quidem modi & solennia à quovis Tertio facile excogitari possunt: Illius verò quia plurima, varia & diversa sunt, ex thesibus aliquot infra positus satis elucescent.

XIV.

IV. Et ultimò Ratione Finis & Effectus dividi potest, quod alia fiat principaliter adhærendi gratiâ Uni litigatorum: Alia verò principaliter proprii Interesse deducendi causâ: Quod fit vel utroque Litigantium in causâ durante, vel altero eorum excluso.

XV.

Post hæc videndum jam erit de personis, quæ Intervenire possunt: Et I. quidem extra judicium. Hæ autem sunt omnes illi, quorum causa qualicumque modo tangitur, cujusmodi exempla *Pet. Frid. Mind. d. lib. de cont. caus. c. 9. n. 2. & 3.* plurima, interque ea & hoc recenset: Quod Intervenire quis possit pro Virgine (in primis variis virtutum insignibus ornatâ) sibi jam desponsatâ: alteri verò, eo rejecto, de novo nubere volente. Ita quoque intervenire potest Dominus Emphyteuticarius, si Emphyteuta jus Emphyteuseos alienans, Domino attestationem hujus transmittere contra pactum conventum neglexerit per *l. 3. C. de jur. Emphyteut.*

Causa Efficiens vel Qui Intervenire possunt.

Extra judicium.

XVI.

I I. In judicio. Et quidem in I. Instantiâ, ubi considerandæ veniunt personæ, an sint habiles & legitimæ. *arg. l. 4. ff. de Testib. l. 9. C. de his.*

In judicio.

de his, qui accus. non poss. t. t. C. qui legit. pers. stand. in jud. hab. Quo discussio
 intervenire licet omnibus illis, qui agere vel conveniri possunt. Petr.
 Frid. Mind. d. lib. 3. de contin. caus. c. 8. n. 2. Ludovic. Gilhaus. arb. jud. c. 5. ram.
 2. pr. Illic. Vmm. d. disp. 11. th. 1. C. I. A. de quib. caus. ad eund. jud. eat. thes. 24.
 ut I. Dominus ipse, cum Procurator eius litem suscipit. l. 69. ff. de Pro-
 cur. cap. 2. eod. in 6. II. Legatarii. l. 29. ff. de inoff. test. Auth. nunc si heres.
 C. de Litigios. l. 50. §. 1. de Legat. 1. C. I. A. de Legat. th. 72. III. Patronus
 pro liberto. l. 19. C. de lib. caus. l. 3. §. 5. ff. eod. l. 63. ff. de re jud. IV. Mari-
 tus pro uxore. l. 21. C. de Procur. V. Filiusfam. in l. ult. §. 3. C. de bon. qua-
 lib. VI. Miles pro necessariis sibi personis. l. 3. §. 1. ff. de lib. caus.
 VII. Uxor pro Marito. d. l. 3. §. 2. VIII. Filia pro patre. d. l. & §.
 IX. Pater pro dote sibi reddenda. l. 34. ff. sol. matrim. X. Ex Jure Can.
 notatur exemplum in c. veniens 38. extr. de Test. & Attestat. XI. Zanger.
 tr de Except. part. 3. c. 26. n. 138. se vidisse refert, uxores ad impedi-
 dam executionem in bona Mariti, ad instantiam Creditorum impe-
 tratam, intervenisse XII. Creditor ignorans, debitorem de proprie-
 tate pignoris agere. l. 63. v. scientibus. ff. de re jud. l. 29. §. 1. ff. de except. rei
 jud. XIII. Maritus ignorans, socerum vel uxorem de proprietate
 rei in dotem datae agere. d. l. 63. XIV. Possessor ignorans, vendito-
 rem de proprietate rei emptae agere. d. l. 63.

XVII.

XV. Rectè intervenit Dominus Feudi, si inter duos Vasallos
 sit controversia, & ipsi Eo excluso, alium Judicem elegerint. 2. Feud.
 55. fin. vers. prater ea si inter. XVI. Vasallus, cum agitur de privatione
 feudi. Ludolph. Schrad. 2. part. 9. part. pr. sect. 9. n. 52. Petr. Frid. Mind. de con-
 tin. caus. lib. 3. c. 8. n. 13. fin.

XVIII.

XVII. Ita Principes, Comites & Magistratus pro subditis suis
 intervenire possunt, ratione incompetentiae fori, privilegii de non ar-
 restando, de non avocando, vel alterius cuiuslibet interesse. Gail. 1.
 Obs. Pr. 40. n. 2. 3. 4. & 5. 1. Obs. 125. P. Frid. Mind. d. lib. de cont. caus. c. 8. n. 10.
 Berlich. 1. Concl. Pr. 25. n. 6. etiam post interpositam Litis contestatio-
 nem, in tantum, ut iudex in causâ ulterius procedere nequeat, ante-
 quam punctus Interventionis fuerit decisus: Si verò iudex non at-
 tentis hisce Exceptionibus, in contumaciam procedere tentet, atten-
 tata ista, utpote injusta revocari debent, Eique iudici mandari, ut ab
 isto processu exequendo sub comminatione poenae Mandato insertae
 desi.

desistat. Cujus Interventionis præjudicia referunt Gail. d. loc. Ber-
lich. d. loc. n. 7. Bened. Carpzov. part. 1. Constit. 3. desinit. 31. fin.

408.

XIX.

I I. In secundâ Instantiâ. I. Fidejussor intervenire potest pro
Eo, pro quo fidem suam interposuit. l. 5. pr. ff. de appellat. II. In specie
Venditoris fidejussor Emptore victo, licet Emptor & Venditor ac-
quiescant. d. l. 5. pr. vers. igitur. III. Legatarij d. l. 5. §. 1. 2. 3. & 4. IV. Au-
ctor Emptoris de proprietate victi, eo cessante. l. 4. §. 3. ff. de appellat.
Aut V. Emptor auctore victo vel suspecto in causæ defensione. d. l.
& §. VI. Creditor, cum debitor victus appellat, nec ex fide causam
defendit. d. l. 4. §. 4. VII. Debitor, cum Creditor de pignore victus
est. d. l. & §. vers. qua Constitutio. VIII. Mater pro filio. l. 1. §. 1. ff. de ap-
pellat. reip. c. non solent. 2. quest. 6. IX. Pater pro filio. l. 2. §. 2. ff. quand. ap-
pell. X. Coniuncti pro coniunctis. l. 2. §. 3. ff. quand. appell. XI. Do-
minus pro servo. l. 18. ff. de appellat. XII. Dominus pro subditis suis.
Gail. 1. Obs. 126. XIII. Singuli cives pro Republ. Vant. de nullit. cap. 4.
num. 6. XIV. sic exempla habentur in cap. cum super. 17. X. de sent. & re
jud. XV. in cap. super eo 15. X. de offic. & pot. jud. deleg. XVI. in cap. cum
dilecti 13. X. de Major. & Obed.

XX.

Generale & Catholicum esse, inquit Pet. Frid. Mind. d. l. de cont.
caus. c. 8. n. 9. alio condemnato, eum, cuius interest, intervenire posse.
per l. 4. §. 2. ff. de appellat. Ideoque I. Fratres, affines aliique coniuncti
pro se invicem intervenire possunt. DD. in l. 35. ff. de Procurat. exem-
plum vide in Hippolyto de Marsiliis ad L. Cornel. de sicar. pr. num. 106.
II. Alius Tertius intervenire potest pro aliquo jam condemnato. l. 6.
ff. de appellat. l. 6. §. 3. C. eod. etiam invito & perire festinanti. d. l. 6. Et si
enim hîc Interesse pecuniarium nullum versetur, humanitatis tamen
ratione, quâ nobis invicem devincti sumus, omnem intervenientem
audiri oportere, ait Bart. ad d. l. 6. eo etiam casu, quo terminus inter-
ventioni præfixus fuerit elapsus. Ummius d. disput. n. 11. circ. fin. quia
Reipubl. interest, homines conservari. l. 7. §. 3. ff. de bon. damnat. & ne-
mo dominus est membrorum suorum. l. 13. pr. ff. ad L. Aquil. III. Do-
minus pro vasallo. arg. §. sed si libero homini 6. Instit. de injur. Specul. de in-
jur. §. scias. n. 4.

B

Causi-

Qui Inter-
venire nō
possunt.

Consideratio inhabilitatis, quæ aliàs omnem actum retrò red-
dit nullum, l. 6. C. de jud. l. 24. C. de Procur. c. 4. X. eod. etiam locum sibi
vindicat in Interventione, à quâ arcentur omnes illi, qui incapaces
sunt iudicii. Vant. de nullit. rubr. quis poss. dic. de nullit. n. 29. qualis est
Excommunicatus. c. 1. de Except. in 6. si comparere velit, ut Actor, d. c. 1.
si verò ut reus, & ipse excipiendo sese defendere poterit. c. 7. X. de jud.
Aliàs Intervenire nequit l. qui litem, cuius & ipse particeps fieri
potuit, agitari scivit, idque per conniventiam toleravit. c. 25. X. de sent.
& re jud. Quotiescunque enim Tertius scit alium agere de jure ad se
quoque spectante, sibi, non contradicendo, præjudicium generat.
Gail. 1. Obs. 70. n. 25. quia hoc casu scientia habetur pro consensu, Id. ib.
& Covarruv. pract. quest. cap. 13. num. 3. junge Zas. lib. 2. Intellect. sing. 27.
II. Non audiendi sunt illi, qui nullum competens Interesse probare
possunt, per l. 1. ff. de appellat. recip. c. non solent. 2. q. 6. c. cum inter 16. X. de
Elect. & Elect. pot. & alios text. in th. 30. alleg. III. Vel qui tale Interesse
habent, quod adhuc est in dubio, vel futuro, cuius causa necdum
existere potest, cuius exempla. vide in Petr. Frid. Mind. lib. 3. de cont.
caus. cap. 8. numer. 13. IV. Causæ adhærere volens non rectè inter-
venit, probando interesse aliquod singulare & à prioris litigatoris
planè separatum: Hic enim novâ instantiâ & novo processu opus est
per l. 57. ff. de petit. hered. l. v. a quo 57. ff. de R. V. ideò cautelam tradit Gail.
1. Obs. 69. pr. Advocatis, contra quos articuli interventionales produ-
cuntur, ut eos accuratius inspiciant, sintne pertinentes, necne: Et si
eos impertinentes deprehenderit, excipiendo, litis differendæ gratiâ
exhibitos petant reiici, nec ad Acta admitti. V. Denegatur interven-
tio illi, qui calumniandi animo, vel instinctu alterutrius litigantium
intercedit, ut telam iudicii disrumpat, vel cursum processus retardet.
per c. 2. ut lit. pend. in 6. c. 2. X. de calumn. Sic. Umm disp. 11. num. 5. VI. In-
terveniendò non rectè comparent illi, qui scientes tempus lege ali-
quâ vel statuto interventioni præfixum, præterire patiuntur. Vant.
de nullit. rubr. quis poss. dic. de null. n. 25. exemplum est in l. 2. §. 2. ff. quand.
appellat. d. quia nec ipsi Principali hoc licet. Via autem Principali præ-
clusa censetur etiam Tertio, eidem adhærenti præcludi. Vant. d. loc.
cum alleg. ibid. Petr. Frid. Mind. d. l. de cont. caus. c. 8. n. 24. VII. Domi-
nus pro subditis suis. per §. sed si libero homini 6. Inst. de iniur. VIII. Deniq;
non admittitur ille qui dum extrajudicialiter jactabat, & sibi quid
juris competere in lite inter N. & N. agitâtâ, citatus in hoc, ut præten-
sum

sum jus demonstrat, eoq; demonstrato de lite participet, ne quidem docere valuit. Hoc enim casu citari ille procurans petere poterit, ut Tertio Illi ex L. diffamari perpetuum silentium imponatur. Gail 1. Obs. 70. n. 27.

XXII.

Interventionem locum habere non solum in causis, quæ in iudicio, sed etiam quæ extra iudicium agitantur, patet ex th. supr. 7. 13. 15. præter exempla in th. 15. & à Pet. Frid. Mind. d. l. c. 9. n. 2. & 3. proposita, plurima alia actus hominum quotidiani nobis suppeditant.

Materia. Quando & in quibus Causis Interventio locum habeat.

XXIII.

Judicialis Interventio obtinet I. Si Dominus Procuratorem suum de collusionem suspectum habet. l. 69. ff. de Procurat. cap. 2. eod. in 6. II. In jure patronatus defendendo. l. 63. ff. de rejud. l. 19. C. de lib. caus. III. In querelâ inofficiosi testamenti. l. 29. ff. de inoff. test. si dolose reslagi præsumitur, vid. th. 16. num. 2. IV. In dote repetendâ. l. 34. ff. solut. matrim. V. In dote retinendâ. l. 63. ff. de rejud. VI. In re emptâ retinendâ. d. l. 63. VII. In pignore retinendo. d. l. 63. VIII. In bonis Adventitiis. C. l. A. de Appellat. th. 9. n. 15. per l. ult. §. 3. C. de bon. que lib. IX. In libertate defendendâ. l. 3. §. 1. 2. 3. ff. de lib. caus. X. In officio jam demandato. c. veniens 38. X. de Test. & Attest. XI. Sic Tertius Intervenire potest, & agere petitorio, cum duo litigant de possessorio. Mynsing. cent. 2. obs. 1. cum alleg. ibidem Berlich. 1. conclus. 25. n. 11. 12. 13. & 14. nec nocet ei suspensio possessorii, quo minus eâ obstante in petitorio audiri debeat. Nec exceptio spoliis sive attentorum, quo minus illis non purgatis in jure suo procedere possit. c. romana. 3. §. in alium, de appell. in 6. dum modò taliter compatens ab ipso spoliante vel attentante causam non habeat. Sebast. Vant. de null. c. 4. n. 20. Bart. ad l. 14. pr. vers. sed & agere, n. 4. ff. de appellat. XII. In causis, quæ intra decennium in rem judicatam non transierunt. Covarruv. pract. quest. c. 13. n. 3. vers. Tertio. XIII. Non ligat Interventientem Inhibitio ab alterutro litigantium impetrata, quo minus in processu ulterius progredi queat, propter t. t. C. res int. al. act. eūq; ita nihil attingit t. ff. nihil innov. pend. appell. XIV. Intervenire Tertio licet in causâ, quæ per transactionem litigantium jam decisa & finita est. per l. 1. C. de Transact. l. 3. pr. & §. ult. ff. eod. l. 29. §. 2. ff. de inoffic. test. l. 5. §. 3. ff. de appellat. Bart. in l. 5. §. 2. n. 2. d. t.

B 2

Inter-

red. sibi aces s est . 6. l. jud. fieri ent. ad se erat. d. ib. 7. 27. bare X. de resse dum cont. nter- toris us est Gail. rodu- Etli rven- tium rdet. I. In- ge ali- Vant. quand. li præ. d. loc. Domi. Deniq; quid ræten- sum



XV. Intervenire possum. in faciendâ executione rei furtivæ mihi ablata. Petr. Frid. Mind. d. l. de cont. caus. c. 9. n. 30. XVI. Sic rectè procedit Interventio, cum condemnatio facta est in re aliâ: Executio autem fiat in re aliâ. Bart. in l. 15. §. 14. ff. de re jud. Mynsing. cent. 3. Obs. 73. n. 3. quod fit 1. si lis personaliter ventilata sit: Executio verò perficiatur in iis. rebus, quas victor Rei proprias esse dicit: Intervenientem verò probationes in promptu paratissimas habeat, quibus edocere possit, sese verum illius rei Dominum esse. Covarruv. pract. quest. c. 16. n. 4. Obtinet enim hic vulgatum illud in l. 3. pr. ff. ut in possess. legat. Hodie constat, Hodie agatur. Petr. Frid. d. c. 9. n. 28. præsertim si impediti petatur Executio rei vacantis, quæ alicui citius a judicari potest, atq; possessa. Covarruv. d. c. 16. n. 2. & 3. Ludov. Gilhaus. arb. jud. c. 5. ram. 2. n. 2. DD. comm. in l. 57. ff. de R. V. & l. fin. C. de Ed. Div. Hadr. roll. 2. Si Tertius eam rem, quæ Executioni demandata est, possideat, & justum possessionis titulum alleget. Hic enim nondum victus est ab eo, qui executionem fieri desiderat: Neque enim citatus, neque in iudicio nominatus erat. Ergò nec sententia in eo exequenda erit. DD. in l. 63. ff. de re jud. l. 11. ff. de except. rei jud. c. pen. X. de sent. & re jud. 3. Si Tertius dicat, rem exequendam nec jure dominii, nec jure possessionis ad victum pertinere. Covarruv. dict. loc.

X X V.

XVII. Interventio locum habet in quocunque gravamine, quod per provocationem repelli & removeri potest, per text. in th. 19. alleg. Quod ampliatur, 1. etiam si priores litigatores provocationi renunciaverint. Quia renunciaciones sunt stricti juris, & non nisi ea in iisdem contenta videntur, quæ sunt expressa. Gail. 2. Obs. 77. n. 5. 2. Etiam si Causa decidi delegata sit cum rescripto, eiq; annexâ clausulâ, REMOTA APPELLATIONE. Rescripta enim eorundemque Clausulæ ita sunt interpretandæ, ne jus Tertii lædant, neq; extendantur ad innominata. c. 15. §. 13. X. de off. & pot. jud. deleg. l. fin. C. si per vim. c. 18. X. de Rescript. l. 43. pr. ff. de vulg. & pup. substit. l. 21. ff. de his, qui not. inf. l. 2. §. 16. ff. ne quid in loc. publ. l. 1. §. 2. ff. de Const. Princ. Bart. in l. 1. §. interdum. n. 5. ff. à quib. appell. non lic. 3. Ampliatur etiam, ut liceat Intervenienti, causam agi ignoranti, tertio. contr. t. C. ne lic. in un. ead. caus. tert. & c. provocare, quia respectu Tertii provocatio hæc nequit vocari Tertia, sed Prima. Bart. ad l. 5. pr. n. 7. ff. de appellat. Et hoc casu lis mota

ita.

ita accipienda est, ac si nunquam mota fuisset. Jlic. Umm. d. disput. 11. n. 11. fin. 4. Ampliatur, ut Tertius ad provocandum intervenire possit etiam post 3. conformes sententias, contra Clem. 1. de sent. & re jud. Vant. de nullit. rubr. quis poss. dic. de nullit. n. 37. cum alleg. ibid. Gail. 1. Obs. 7. n. 4. Didac. Covarruv. pract. quest. c. 15. n. 9. eo potissimum casu, quo deficit potestas judicantis: Hac enim deficiente non recte & effectivè fertur sententia. l. 1. §. fin. ff. ad SC. Tertull. l. 4. §. 6. ff. de re jud.

XXVI.

XVIII. Obtinet quoque Interventio in re feudali (neque enim est textus in Jure Feudorum, qui Interventionem repudiet, inquit Jlic. Umm. sæpè alleg. disput. 11. n. 8.) (1) quoad ipsam Jurisdictionem fundandam, (2) in ipso feudo defendendo. Ludolph. Schrad. & Petr. Frid. dd. loc. in th. 17.

XXVII.

XIX. In jure pulico defendendo, per notata supr. in th. 18. & l. 2. §. 1. ff. de Interdict. l. si quis in hoc. C. de Episcop. & Cler. l. Manichæos. §. 1. C. de hæret. & Manich. ratio elegans redditur in Disput. Basil. volum. 1. disput. 8. th. 18. lit. F. quod universos lædit, non potest non per consequentiam obesse singulis, ex Vant. de nullit. cap. 4. num. 4. & per l. 3. §. fin. ff. de nov. oper. nunc.

XXVIII.

Perperam & sine fructu interponitur Interventio I. Si fiat litis tantum differendæ gratiâ, & ut cursus Judicii impediatur, sicque peccetur contra. l. properandum 13. C. de jud. II. Si fiat ad impediendâ Executionem eâ in re, super quâ sententia, (Tertio sciente & connivente, eo casu, quo nocet scientia, Didac. Covarru. pract. quest. c. 16. n. 2.) jam lata est. Gail. 1. Obs. 70. n. 21. Fachinæus 1. controvers. jur. cap. 5. Carpzov. par. 1. Constit. 3. definit. 30. n. 7. & quæ ab aliquo litigantium possidetur, per l. 7. ff. de R. V. & l. cum idem eandem. 57. ff. de hered. petit. c. suscitata 6. §. ne verò. X. de in integr. restit. rationem reddunt DD. ex l. ult. C. de Ed. Div. Hadr. coll. communiter, teste Covarruv. pract. quest. d. c. 16. n. 3. circ. fin. quia bona possessa non tam facilè occupantur, atque vacantia. Quo tamen casu à priore litigatore vincente, præsertim si durior adversarius fore visus fuerit. Covarruv. d. c. 16. n. 3. cautio sive satisfactio, quam præstare recusans dolo carere non videtur. l. 41. ff. ad L. Falcid. exigitur,

Quando & in quibus Causis Interventio locum nõ habeat.

B. 3. ut, si



ut, si Interveniens potius Jus probaverit, rem illi restituat, *dd. ll. & d. c. suscitata*: Et hoc modo res salva erit ei, qui in Executione tardior venit, ut ait *d. l. cum idem eandem. de petit. hered.* III. Non ritè intervenit Tertius coràm Commissario ad Testes examinãdos jam parato. *Rutg. Ruland. de Commiss. part. 1. lib. 6. cap. 9. num. 5. & seq. & Berlich. 1. conclus. 25. num. 17.*

XXIX.

IV. Interventio ad provocandum non admittitur. 1. Quando ex Lege vel Consuetudine provocatio ipsi etiam Reo denegatur, ut patet ex *text. à C. I. A. de appellat. recip. vel non. th. 3. num. 3. & 4. allegat. Hippol. de Marsil. ad L. un. C. de rapt. virg. n. 142. & ibid. allegat. ex utroq. jure*. Quod enim Principalis non potest, id nec Tertius, Lege prohibente, ait *Pet. Frid. Mind. de cont. caus. lib. 3. cap. 8. num. 24.* 2. Si Reus ipse renunciat defensionibus & exceptionibus, quæ sunt de apicibus juris. *l. 4. §. 4. ff. si quis caut. exempl. grat. in Nov. 94. cap. 2. in l. 1. si quis in jus voc. l. 7. pr. qui satisd. cog. l. 29. C. de pact.* Renunciatio verò quoad probationem innocentia vel vitæ defensionem nunquam valida est. *Frid. d. loc. n. 25. & 26. rationes sunt in l. 13. pr. ad L. Aquil. l. 7. §. 3. ff. de bon. damnat. & alius.*

XXX.

Non tamen (liceat mihi Imp. Justin. *in pr. Inst. de Exhered. lib. Verba, mea facere*) ut omninò valeat Interventio, sufficiunt hæc superius exposita, sed oportet etiam Interveniens, ut jam *in super. thes.* mentio aliqua fuit injecta, verum, singulare & specificum Interesse probare, *per l. 34. ibi, nisi probet. ff. sol. matr. c. 38. X. de Test. & Attest. ibi, suã intentionem fundaret. l. 4. §. 2. l. 5. pr. ff. de appellat. Gail. 1. Obs. 69. n. 4. ibi, nisi in primis de suo Interesse doceat. Vant. de nullit. c. 4. num. 22. & 23.* Sive pecuniarium illud sit, sive quodcunque. *Petr. Frid. d. l. de cont. caus. c. 8. num. 3.* nam & ratione famæ & existimationis Interesse potest. *C. I. A. de Appellat. th. 9. n. 2.* Sive solius Interveniens proprium sit, sive cum alio commune. *Frid. d. c. n. 5. fin.*

XXXI.

Est autem Interesse hoc statim & in continenti probandum, ne, dum multum temporis huic Termino cõceditur, & Interveniens in probatione postea fortè succumbat, totus processus retardetur & differatur,

447.
feratur, sicque alteri per alterum iniqua conditio inferatur, contra
l. 74. & 75. ff. de R. l. & hominum malitiis via præparetur. l. 38. v. consti-
tutus. ff. de R. V. Vel si collusionis & fraudis magna est præsumptio,
potest Tertio Juramentum malitiæ deferri. Berlich. 1. conclus. 25. num.
56. Et est articulus hic præjudicialis, qui ante omnia terminari debet.
Schneidev. in §. Præjudicialis 13. Inst. de Act. P. Frid. Mind. de cont. caus. d.
l. c. 8. n. 3. fin.

XXXII.

Æquius tamen erit, si probatio hæc arbitrio judicis discreti re-
linquatur, & modicum temporis Interveniendi huic concedatur. cap.
veniens. 38. ibi, si posset Jlic. Umm. d. disput. 11. num. 6. Menoch. de arbitr.
jud. quest. c. 18. Covarruv. pract. quest. c. 16. n. 2. non obstante phrasi, IN
CONTINENTI: Patitur namque ea etiam laxamentum aliquod tem-
poris. Wesemb. in parat. Vti possid. n. 6.

XXXIII.

Summatim etiam & apparenter tantum probandum est, tum
præsertim, cum Interveniens saltem adhæret, quia probatio hæc per-
tinet ad præambula & præparatoria. l. 15. §. 4. vers. sed sciendum. ff. de re
jud. l. 3. §. 4. ff. de Carbon. Ed. l. 1. §. 9. ff. de prat. stipul. Bocer. cl. 6. disputat. 5.
th. 29. Vant. de nullit. rubr. quis poss. dic. de nullit. n. 24. Gail. 1. Obs. 69. n. 4.
& 1. O. 70. n. 23.

XXXIV.

Sequitur jam, ut inquiremus, Coram quo judice Interventio in-
stituenda sit? Et regulariter coram eodem, coram quo ipsa Actio
Principalis pendet, institui eam debere tradunt Gail. 1. Obs. 70. pr. Petr.
Frid. d. lib. c. 8. num. 27. Jlic. Umm. d. disput. 11. th. 2. C. I. A. de quib. caus. ad
eund. jud. eat. th. 25. cum alleg. five ille sit ordinarius five delegatus, dd.
loc. 1. ne contentia causæ dividatur. contr. l. 10. C. de jud. 2. ne in-
cidens & Emergens à Principali separetur, propter Identitatem na-
turæ & qualitatis, per c. prudentiam 21 §. sexta nobis. vers. explorat. siqui-
dem juris. & §. fin. x. de offic. & pot. jud. deleg.

XXXV.

Quod admitti potest in eo Interventionis genere, cum Tertius
pro suo jure in consequentiam, ad defendendum & coadjuvandum
Princi-

Principalem litigatorem causæ saltem adhæret. Bocer. *cl. 6. disput. th. 2. § 25.* Jlic Umm. *d. disput. th. 3.* Berlich. *1. conclus. 25. n. 28.* quo casu litem acceptare tenetur eo in statu, in quo eam reperit. *c. fin. ut lit. pend. in 6.* Vant. *de nullit. c. 4. num. 25. cum alleg.* Didac. Covarruv. *pract. quest. c. 13. pr. n. 2.* iisdemque terminis arctatur, quibus ipse Principalis, ita ut Termini assignati Principali, censeantur etiam assignati Tertio. Gail. *1. Obs. 71. n. 18.* Et hanc sententiam in praxi receptam esse ait Didac. Covarruv. *pract. quest. d. c. 13. n. 2.* Hujus Interventionis formam à Procuratore concipiendam tradit Ludovic. Gilhaus. *arb. jud. c. 5. ram. 2. num. 11.* In Sachen A. contra B. erschein ich nomine C. vnd producir diese Articulos Interventionales: Ist derselbige C. vrbietig die Sach in dem stand / darin sie sich an jero verhebt / anzunehmen / bitt sich hinzuzulassen / vnd gegenheit dargegen zu handeln / anzuhalten. Et hoc ampliant DD. etiam in adhærente Appellationi ab alio interpositæ, quam æquè intra decendum ratum habere debet. *c. ut circa, verb. adhærentes, de Elect. & Elect. pot. in 6. argum. l. 24. ff. rat. rem hab. Gail. 1. Obs. 122. n. 4. vers. secundus casus est.*

XXXVI.

Quin nec integrū illi Tertio erit, (litis maturandæ & fraudib. obviandi gratia) post didicita testimonia, eorundemq; factā publicationem (antequam enim hoc fiat, licet ipsi non allegata allegare & non probata probare *ex l. 4. C. de temp. appellat.*) alios de novo testes, vel post conclusionem in causâ nova instrumenta producere, cum nec Principali, cui tantum accedit, hoc liceat, *per text. in c. pastoralis. 5. X. de caus. possess. & propriet. c. cum dilectus 9. X. de fide instrum. l. 4. C. de re jud. l. 27. ff. de except. rei jud.* Et obtinet regula: *Accessorium sequitur nat. princ.* Potest tamen à primo litigante hætenus acta & actitata petere, quibus recusatis, judicem ipsum pro Eorum communicatione rogare non prohibetur. Bart. *in l. 5. n. 3. ff. de Tab. exhib.* P. Frid. Mind. *lib. 3. de cont. caus. c. 9. n. 33.*

XXXVII.

Fori quoque incompetentiam obicere nequit propter *l. 30. § 49. ff. de jud.* Judicem tamen ex legitimis causis suspectum recusare, antequam sese intromittat. *l. 16. pr. C. de jud.* Petr. Frid. *d. l. c. 8. num. 37.* C. I. A. *de Except. th. 109. n. 4. potest. c. 5. vers. inquisitioni Vestra. X. de Except.* Grave namq; est & periculosum coram suspecto iudice litigare. *d. 65.* Et si Interventio ei permittitur tanquam antecedens, recusatio utiq; permit.

492
permittenda erit, cum suis defensionibus, annexis & connexis, tanquam consequens, inquit Gail, 1. Obs. 71. n. 7.

XXXVIII.

Incidenter hîc de Arbitrio quærendum est, an sc. ipse semper & indistinctè litem semel inceptam in totum decidere valeat, & ita Interveniens tribunal eius strictè sequi teneatur? Affirmativæ fundandæ causâ adduci potest text. *ex s. alleg l. 30 ff. de jud. l. 6. § 4. C. de postul. l. 16. ibi, neq; recusari posse, ne lites in infinitum extendantur. C. de judic. & arbitrium tributū super cognitione causæ Principalis permissum etiam videtur super incidentibus: ut probat Petr. Frid. Mind. d. lib. de cont. caus. c. 8. n. 28. ex Menoch. Sed Resp. Neg. sumenda erit ex d. Frid. ejusque in hoc sequace, Jlic Ummio disput. 11. num. 7. distinguendo inter Arbitrum Juris, autoritate superioris Magistratus datum & confirmatum: Et inter arbitrum partium voluntate electum sive compromissarium. Illum quod attinet, expediti juris est, causam apud eum inceptam totaliter ventilari & finiri posse.*

Apud hunc verò, Interveniens litigii telam pertexere invitum non cogi, patet ex seqq. rationibus. 1. Quia pactum vel compromissum in Tertii præjudicium in initum nocere Ei non debet, *per reg. gen. in l. 27 §. 4. fin. ff. de pact. l. 3. pr. ff. de Transact. & aliis.* 2. Arbitr de rebus tantum compromissis cognoscere potest, non verò de iis, quæ postea supervenerunt. *l. 46. l. 32 §. 15. 21. ff. de recept. arbitr. aliàs impunè ei non paretur. d. §. 21. & l. ult. ff. de iurisd.* Grave namque est coram non suo iudice litigare, *arg l. 2. §. 5. v. sed & si agant ff. de judic.* 3. Facile evenire potest, ut aliqui collusionem quâdam compromiserint, tantum ut Tertium, quem forsan Interventurum suspicantur, foro suo privarent, & alieno eum iudici, ut causæ suæ eò melius consulant, subiicerent: quo casu obtinet *l. 9. ibi, quia non debet ff. de lib. caus. l. 74. 226. ff. de R. l. c. 48. eod. in 6. l. 39. ff. de negot. gest. l. 8. §. 22. fin. de Transact.* Poterit Ergò Tertius iudicem suum adire & desiderare, ut causam ad se avocet, arbitroque inhibitionem de non ulterius procedendo injungat *Frid. d. loc.*

XXXIX.

Prædictis tamen necessariò addenda erit hæc Exceptio, si compromittentes sint Litigatores Principales, quos causa etiam principaliter contingat: Interveniens verò accessoriè tantum, ut cui exiguum Interesse eâ in re competat. Ubi Æquius erit, Tertium hunc sequi illos compromittentes, tanquam partem principaliorem. *arg. l. un. C. ubi fideic. per. oport. l. 50. ff. de jud. P. Frid. d. loc.*

C

Exami-

X L.

Examinandus jam erit modus & qualitas Interventionis illius, quâ Tertius principaliter ad defensionem sui juris intercedit: Qui æquè principalis est persona, atq; priores, cui jus jam quæsitum alieno facto auferri iniquum est, per *vulg.* Ideoque admittitur ad causam, atque si nondum cœpta fuisset, eamque in eo statu, quo apprehenditur, assumere non tenetur, sed oportet libellum articulatum ratione sui Interesse edere, quo omisso Judex animadvertere nequit, quale & quantum Interesse prætendat. *Frid. d. c. 9. n. 32.* Et potest etiã post publicatas attestaciones super iisdẽ vel directò contrariis articulis alios producere. *c. 38. X. de Test. & Attest. Covarr. pr. q. c. 13. pr. Berli. 1. concl. 25. n. 58.* adhibitã tamen necessariã hãc limitatione, si causam agi ignoraverit. *Bart. in l. 14. § 1. n. 2. ff. de appell. ratio est in l. 5. ff. de jur. & fact. ignor.* Interim tamen nullã in parte differatur litis definitio inter priores litigatores, si illis adhuc sit locus, *fac. l. 44. ff. de judic.*

X L I.

Si verò Tertius interveniat ad excludendum alterutrum litigatorum, prætendens, sibi primas in hãc actione deberi, ut in *l. 34. ff. sol. matr.* plurima quidem in *th. præced.* tradita locum habebunt: Verba tamen sententiæ concipienda sunt in personam illius Tertii. *Gail. 1. Obs. 122. n. 8. Gilhaus. arb. jud. c. 5. ram. 2. n. 8. Berlich. 1. concl. 25. n. ult.*

X L II.

Et in Executione sentent. Interventionem interponi posse, dictum est *supr. in th. 24.* ubi & forma hujus Interv. aliquo modo notata fuit: Apud quem verò, an apud judicem, qui integram causam hucusque cognitione suã examinavit: An apud eum, qui executionem illam obtinuit: An verò apud Executorem ipsum Interventio hæc rectius interponatur, videre licet apud *Didac Covarruv. pract. q. c. 16. n. 5. per rot.* Cuius opinioni an omninò assentiendum sit, valdè dubito.

X L III.

Si Tertius à sententiã contra alterutrum litigatorum latã, ratione sui Interesse appellat, non tantum opus est, ut debito & statuto tempore id fiat, sed requiritur etiam, ut in schedã appellationis (ut vocant) nuncupatim gravamina sua, quæ eum, ab ejusmodi sententiã appellare cogant, exprimat, *per l. 1. ff. de appell. recip. l. 5. pr. ff. de appell. c. non solent. 2. q. 6. c. interposit. 170. pr. X. de appell. ratio hujus expressio- nis est, ut in appellatione hãc irregulari Gail. 1. Obs. 122. n. 5. omnis doli præsumptio præcaveatur. gloss. celebr. in c. romana. §. si autem. de appell. in 6. Covarruv. pract. quest. c. 15. pr. Formam hujus Interventionis, vide in P. *Frid. d. l. 3. de cont. caus. c. 9. n. 34.**

Rectius.

Rectius autem & cautius faciet Tertius ille, si appellationem omiserit, ubi aliâ viâ ipsi consultum esse poterit: verb: grat: si iudicem, qui sententiâ tulit, adeat, ab Eoq; sententiæ eius declarationem vel Leutationem (ut Saxones vocant desideret, dicens, se non speraturum, hanc sententiâ in sui absentis, non citati & victi præjudicium vertere: Et si fortè tale quid inibi contineatur, petere se, ut revocetur, vel ad minimum, sententiâ restringatur. P. Frid. *dict. loc. in fin.*

X L V.

Finis Interventionis varius est & diversus. Jlic. Umm. *d. disput. 11. n. 3.* ita ut regulâ aliquâ certâ includi nequeat. Optimè tamen ex unâquâque specie in superioribus *DD.* colligi poterit.

Finis.

X L V I.

Effectus itidem non unus idemque. Jlic. Umm. *dict. loc.* Alius enim est Interveniens ad impediendum aliorum acta: Alius ad assistendum. Non tamen negligendus ille est, cujus in *DD. preced.* nulla adhuc mentio injecta fuit, quod nimirum Interveniens appellatio profit etiam parti in victoriâ succumbenti, per *l. 1. & 2. C. si unus ex plur. appel. c. una sententia. 72. X. de appell. ita ut ex l. 4. C. de temp. appell. non deducta deducere, & non probata probare possit, perinde ac si ipsemet initio, debito tempore appellasset. Gail. *1. Obs. 122. n. 3.* Gilhaus. *arb. jud. c. 5. ram. 2. n. 9.**

Effectus.

X L V I I.

Contraria quæ sunt, singularem adnotationem mereri non videntur: Licet enim ea in *DD. super.* sparsim reperire: Hoc tantùm addito: Si articuli Interventionales producti videantur Judici impertinentes, ita interloquitur. In Sachen A. contra B. seind die eingebrachte Interventionales E. hiemit von Amptswegen / als untüchtig vnd impertinent verworffen. Ludov. Gilhaus. *arb. jud. d. c. 5. ram. 2. fin.* Bened. Carpzov. *part. 1. Constit. 3. definit. 31. fin.*

Contraria

X L V I I I.

Inter Affinia connumerari possunt I. Protestatio, quâ de non solum in jure nostro textus per plurimos invenire licet, sed varia etiam *DD. Commentaria & Tractatus* extant. II. Denunciatio Litis vel Laudatio Auctoris, cujus sedes propria est in *1. ff. & C. de Evid.* III. Nominatio, vide Jlic. Umm. *de process. disp. 11. th. 9. & seqq.* IV. Prælatio Creditorum, quâ de præcipuè agitur in *Materia pignor. & tit. 5. ff. Lib. 42.* V. Jus Retractus, quod textibus fundatum & à *DDbus* elaboratum remissivè invenies in *C. l. A. de contr. empt. th. 27. & seqq.*

Affinia.

Atque

Atque pauca hæc pro instituti ratione de Interventione dicta suffi-
ficient. Concludo cum Excellentis. & Eminentis. Jcto Justo Mejero
p. m. in tractat. de Mulier. hypoth. in dot. repetit. præeunte Cyro. 4. παιδείας
Xenophontea. Ἐγὼ μὲν ἔγω γινώσκω, εἰ δ' ἄλλος ὄρεται ἀμεινον, λεγέτω!
Nullibi enim utilius vincor, quàm cum Veritati
vincenti do manus.

SS. Trinitati sit laus, honor & gloria in
sempiterna secula.



ULB Halle
005 714 745


3



VD17







B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO JURIDICA ²⁹ 404
INAUGURALIS
DE ^{1647,9}

INTERVENTIONE,
QUAM

Sub Præsidio SS. Trinitatis.

DECRETO ET AUTHORI-
TATE NOBILISSIMI ET AMPLISSI-
MI Jctorum COLLEGII IN ALMA ET INCLYTA
ARGENTORATENSIIUM
UNIVERSITATE,

Pro impetrandis rite ac solenniter in UTRO-
QUE Jure honoribus, immuni-
tatibus & privilegiis

DOCTORALIBUS

Publica & solenni disquisitioni subijcit,

JOHANNES BERNHARDUS Wild/
WIMPINENSIS.

Die 9. Mensis Septembris.

ARGENTORATI,
Typis JOHANNIS REPPII.

ANNO M. DC. XLI.

